Nuntius Apostolicus in Polonia celebrans Pontificaliter

Non decet Nuntium celebrare Pontificaliter absque assistentia plurium ex Canonicis cum Pluviali, qui tamen invitantur ab illis qui invitant Nuntium ad celebrand[um] Pontificaliter, et hoc intelligitur in quacumque Ecclia, etiam Regularium; et quatuor saltem Canonici debent assistere cum Pluviali, nam duo debent ministrare Nuntio ad Altare, cum Diaconus et Subdiaconus numquam accedant ad Altare, sed tantum cantent epistolam et evangelium et Ite missa est, et officio Diaconi, et Subdiaconi funguntur Canonici inferiores nempe honorarij, si adsint, sive minus Mansionarij, seu inferiores Presbyteri; tertius vero ex Canonicis tenet et presentat Pastoralem et quartus Mitram.

Si Sacro Pontificaliter a Nuntio

Accedit ad ecclesiam in habitu nempe cum Rochetto Mantelletta, si placet, et Morretta, factaque aliquali oratione ante Altare, in quo est celebraturus, surgit, et accedit ad faldistorium in Cornu Epistolae preparatum, aliquantulum distans ab Altari, videlicet subtus gradus eiusdem, ibique sedet, et legit preparationem ita ut audiatur a Circumstantibus, dumque recitat psalmos ponuntur illi Caligae et Sandalia. Terminatis postmodum Psalmis surgit, et stando capite etiam aperto conversus ad Altare legit Antiphonam preces et orationes. Deinde sedet, legit Orationem, Calcea Domine &, et lavat manus dicendo Da Domine virtutem &, lotis manibus surgit, et deposita Mantelletta, et Morretta quatenus habeat, ministrante proprio Cappellano, induit Amictum dicens Impone & Albam